



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

Symbolvm Apostolicvm, Qvomodo paterfamilias id suæ familiæ  
simplicissimè tradere debeat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

# SYMBOLVM APOSTOLICVM, QVOMODO

do paterfamiliâs id suæ familiæ simplicissimè tradere debeat.

## PRIMVS ARTICVLVS

### DE CREATIONE.

Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ.

*Quæ est huius articuli sententia?*

#### RESPONSIO.

Credo, quòd Deus creauit me, vnà cum omnibus creaturis: Quòd corpus & animam, oculos, aures, & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentet: Ad hæc, quòd vestes & calceos, cibum ac potum, domum, vxorem, liberos, agros, iumenta, & omnia bona, cum omnibus vitæ necessarijs copiosè & quotidie largiatur: Me contra omnia pericula protegat, & ab omnibus malis liberet & custodiat: Et hæc omnia ex mera sua paterna ac diuina bonitate & misericordia, sine vllis meis meritis, aut vlla dignitate: pro quibus omnibus, illi gratias agere, plene ore laudem tribuere, inseruire, obsequi, merito debet. Hoc certissimè verum est.

## SECVNDVS ARTICVLVS

### DE REDEMPTIONE.

Et in Iesum Christum, Filium eius vnicum Dominum nostrum. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Passus

sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Descendit ad inferna. Tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit in cœlos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

*Quæ est huius articuli sententia?*

R E S P O N S I O.

Credo, quòd Iesus Christus, verus Deus à Patre ante secula genitus, idemq; verus homo, natus ex Maria virgine, sit meus Dominus: qui me perditum & damnatum hominem redemit, & ab omnibus peccatis, à morte, à potestate Saranæ liberavit: non quidem auro & argento, sed suo sancto ac pretioso sanguine, suaq; innocente passione ac morte, vt ego essem totus ipsius, & in regno eius sub ipso viverem, ac ei seruirem, in perpetua iustitia, innocentia, & beatitudine, perinde ac ipse à morte surrexit, viuit & regnat in æternum. Hoc certissimè verum est.

### TERTIVS ARTICVLVS

DE SANCTIFICATIONE.

Credo in Spiritum sanctum; Sanctam Ecclesiam Catholicam: Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum: Carnis resurrectionem, Et vitam æternam, Amen.

*Quæ est huius articuli sententia?*

R E S P O N S I O.

Credo, me proprijs rationis meæ viribus, Iesu Christo Domino meo fidere, aut ad eum accedere, &

peruenire, nullo modo posse: Sed Spiritus sanctus per  
Euangelium me vocauit, suis donis illuminauit, in  
ista fide sanctificauit, & conseruauit: Quemadmodum  
solet totam Ecclesiam in terra vocare, congregare,  
luminare, sanctificare, & in IESU Christo per veram  
vnicam fidem conseruare: in qua Ecclesia mihi &  
omnibus Christianis, omnia peccata quotidie benignè  
remittit, & nos omnes in extremo die à morte susci-  
bit, ac mihi & omnibus in Christum credentibus vitam  
æternam dabit. Hoc certissimè verum est.

---

**ORATIO DO-**  
**MINICA, QUOMODO PA-**  
**ter familiâs eam suæ familiæ simplicissi-**  
**mè tradere debeat.**

**PATER** noster, qui es in cælis.

*Quæ est horum Verborum sententia? Responsio.*

Deus amanter nos hac præfatiuacula inuitat, vt ve-  
rè credamus, eum nostrum verum Patrem, nosq; eius  
veros filios esse, vt eum confidentiùs pleni fiducia in-  
uocemus: quemadmodum videmus, liberos certa  
ducta aliquid à parentibus suis petere,

**PRIMA PETITIO,**

**Sanctificetur nomen tuum!**

*Quæ est huius petitionis sententia?*

**RESPONSIO.**

Nomen Dei per se quidem sanctum est, Verùm n